



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

Nádasi, János

Coloniae Ubiorum, 1667

22 Maji. 11 Kal. Junii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)

Sancti Nicoftrate, & Antioche,
cum aliis militibus, Martyres.

S. Valens, cum tribus pueris, ne-
cate, Epifcope.

S. Secunde Presbyter, & alii
Martyres, ipsis facris Pentecofte
diebus occifi.

Sancti Epifcopi, & Presbyteri,
pro fide Catholicâ exules.

S. Itisberga V. Caroli Magni fo-
ror.

OMNES SANCTI, &c.
pag. 320.

S. MARIA, *qua ſervum tuum Go-
dericum orare, & cantare docuiſti,
cùm aliquid pateretur: fac ut laus
libenter patiar, qua Deus vult!*

22 Maji. 11 Kal. Junii.

SAncte Baſilifce miles, qui cùm e-
rubefceres, quòd plura pro Cæ-
ſare, pro Chriſto nullum tuliffes
vulnus, cognato Theodori Marty-
ris exemplo animatus, à Chriſto
viſitatus, & ad pugnam admonitus
es. Poſteà ferro ſoleatus, penetran-
tibus plantas clavis, cum quadrigâ
cucuriffi, & redditâ emortuæ ar-
bori vitâ, evocato è terrâ ſalutari
fonte, è cælo fulminibus contra de-
lubra impetratis, caput pro Chriſto
dediffi.

dedisti. Accende me exemplis tuis,
sicut tu accensus es alienis. Ora JE-
SUM, ut èt mihi det illam patiendi
sitim; ut me ad certamen mortuale
accingat, animet, juvet; ut ille in me
pugnet, vincat, ac æternum trium-
phet Deus. Amen.

Sancti Faustine, Timothee, Ve-
nuste, Martyres.

Sancti Caste, & Æmili, per i-
gnem Martyres, primùm suppliciis
victi, secundò victores.

S. Auloni Episc. M. qui decifum
tuum caput, manibus, ad locum, in
quo es cõditus, detulisti.

S. Aigulphe Ep. M. in solitudine,
cervæ, ad te statis horis venientis,
lacte nutrite.

S. Julia Virgo, crucifixa.

S. Quiteria Virgo M. quæ ab-
scissum tuum caput aliò deportâ-
sti; cui Angelus sæpius bene-
dixit.

S. Joannes Abba, amice paupe-
rum, carnis hostis: qui multos re-
fecisti vino modico, in lagenâ nil
deficiente, licèt multis indè biben-
tibus: qui Arnun fluvium tumen-
tem, sinè navigio, superâsti: muli-
erculam à Deo, ob verba contra te
impudenter effusa, gutturis dolore
punitam, illicò persanâsti: qui in
D d 2 morbo

morbo ultimo à gloriosissimâ Virgine visitatus, illi animam dedicâsti.

B. Humilitas Vidua, quæ cuidam, peccatum in confessione tacenti, cordis arcana revelâsti; & celebraturo sacerdoti, ut conscientiam à peccato mortali elueret, persuasisti; S. Joanni Apostolo familiaris usque ad vitæ finem; quæ cuidam mortem prædixisti, & ut se ad illam componeret, monuisti.

S. Marciane Episc.

S. Joatha, rotâ lacerate Martyr.

B. Romane Abba.

S. Fulce Conf.

S. Helena Virgo.

B. Rita Vidua, à S. Joanne Baptistâ, & SS. Augustino, ac Nicolao Tolentino, ad cœnobium sanctimonialium S. Augustini miraceli favore & modo perducta: in cuius orantis frontem, è Christi Cruci affixi fronte spinis coronatâ, radius lucis, & in splendore illo spina una descendit, ac perpetuum tibi vulnus inflixit: pro quâ ægrâ, in Januario, recentes in horto rosæ, ac ficus repertæ sunt. cuius corpus, hoc die, quotannis, per annos plures, divinitus, ad summam tumbræ tuæ oram elevari, & elapso festo

tuo

tuo die, iterum ultrò ad ejusdem conditorii, seu loculi fundum demitti conspectum est.

OMNES SANCTI, &c.

pag. 320.

S. MARIA, *cujus honori* Constantinus M. Imp. *hodie mortuus, nullis sumptibus parcens, plurimas in diversis provinciis Ecclesias extruxit. Hanc mihi, ô gloriosa Domina, à Filio tuo gratiam exora, ut vires ego & facultates omnes, ad promovendam gloriam tuam, animo liberali semper impendam!*

23 Maij. 10 Kal. Junii.

S. Anctè Desideri Episc. qui, quòd Reginae impuritatem corripere, contumelias, & exilium passus, ibi miraculis clarus, tandem à Christo ad martyrium animatus, pro percussoribus orans, crudeliter occisus, plurimis postea miraculis claruisti; Regina verò suis voluptatibus foedâ morte finem imposuit. Intercede èt pro me, ut nullus humanus respectus me ab æternis abducatur. Alta illa, & maxima altissimi, & maximi Dei principia, seu axiomata æternitatis, mihi imprime; ut illorum ductu ita semper

D d 3

agam